

secundum quid ratione qualitas, quae per accidens se habet ad essentiam matrimonii, cuius per se obiectum, & materia est substantia corporis, seu personae, quae mutuo traditur.

4001 In duplici autem casu error qualitatis potest esse per accidens, dirimens. 1. Si qualitas, in qua erratur, sit apposta in contractu per modum conditionis, v. g. *duco te, si es virgo*; tunc enim matrimonium est nullum ex defectu consensus, quia consensus non fuit absolutus circa personam, sed conditionatus: *vid. n. 3964.* 2. Quando error qualitatis redundat in errorem personae: quod tunc evenit, quando qualitas, in qua erratur, est talis, ut designet individuum personam.

4002 *Exemplum:* Petrus videns duas sorores, unam induram veste alba, alteram rubra, intendit, & convenit cum eorum patre ducere illam, quam vidit tunc induram veste alba: Pater autem, quando faciendus est contractus, substituit alteram, eam induendo veste alba, cum quo errore Petrus cum ea contrahit: tunc matrimonium est invalidum, quia qualitas illa, in qua errat, scilicet circumstantia quae Petrus videns duas, elegit unam, per eam qualitatem designatam, refunditur in substantiam personae.

4003 *Contra:* Petrus videns determinatam puellam, audiens eam esse filiam Pauli nobilis, cum sit Joannis ignobilis, cum eo errore contrahit: tunc matrimonium est validum; quia qualitas, in qua erratur, non redundat in substantiam personae; quoniam revera contraxit cum determinata persona, cum qua intendebat contrahere.

*Resolutorius Casus.*

#### QUÆRES I.

4004 *Petrus petit à Paulo suam tertiam filiam, quam audivit esse pulchram; Paulus id recusavit, dicens daturum primogenitam, cui prius nuptiae conveniebant; hinc Petrus requisivit, ut eam esset daret eundem suo familiari sive digno, qui de eius pulchritudine referret. Paulus dicto familiari ostendit non primogenitam deformem, sed secundam pulchram, & facta relatione de pulchritudine, Petrus artificiosè Pauli sub vesperitini botri ad lumen candele contractus per verba de presentia cum primogenita, quam Paulus ostendit, sed non ostendit, An Matrimonium sit validum?*

**R** Esp. Matrimonium esse invalidum, *Tamb. lib. 8. de matr. tr. 1. c. 2. §. 2. n. ... contra Sanch. quia error redundat in substantiam personae; nam Petrus occasione pulchritudinis relaxat ab amico, suam intentionem, & consensum*

determinavit, non ad personam, quam obtulit pater, sed ad personam, quam vidit amicus.

#### QUÆRES II.

4005 *Paulus habens duas filias, obtulit unam Petro, cui volenti videre pulchritudinem, ostendit filiam pulchram; at Petrus non advertens ad eam quam vidit, vel quia per Procuratorem, vel quia ad lumen candele, contraxit cum alia quam non vidit, An Matrimonium sit validum?*

**R** Esp. Matrimonium esse invalidum, eadem ratione.

*Contra Tamb. de matr. lib. 6. disp. 18. nu. 18. qui dicitur:*

4006 *Si vero Petrus petit à Paulo primogenitam, & Paulus Petro pulchritudinem videre volenti ostendit aliam pulchram, tunc Matrimonium cum primogenita est validum, in qua iam consentit in personam. Vide discrimen inter hos casus primogenitæ oblatæ, & petitæ. In primo enim Petrus vult personam pulchram, quam ex errore putat primogenitam; & ita contrahendo cum primogenita, errat in persona. In secundo vult personam primogenitam, quam ex errore putat pulchram; & ita contrahendo cum primogenita, non errat in persona, sed in qualitate, & ideo in 1. casu invalidum est Matrimonium, validum in 2.*

#### QUÆRES III.

4007 *Paulus habens duas filias, obtulit unam ex illis indeterminatè Petro, cui pulchritudinem videre volenti ostendit aliam tertiam pulchram non suam filiam: An Petrus non advertens ad eam, quam vidit, contraxit cum una ex filiis Pauli quam non vidit, An Matrimonium sit validum?*

**R** Esp. Esse validum, *Tancr. cit. n. 18.* quia consensus iam erat determinatus in unam ex huius Pauli, qui per ostensionem tertie puellae non fuit distractus à substantia personae, sed à qualitate; non inquam, à substantia personae, quia hæc fuit satis determinata ex hoc, quo dicitur determinatus pater.

#### QUÆRES IV.

4008 *Plebejus quidam Panormum petens, sumpsit nepotem Magni Ducis Eruvia, quae fictitious servatæ puellam nobilem ad contrahendum convenit. An matr. sit validum?*

**R** Esp. Matrimonium esse invalidum, *Tamb. lib. 8. tr. 1. c. 2. §. 2. n. 4.* Quia talis puella, atque circumstantiis, non alia via, cognovit illum, nisi sub consideratione, quod fuerit nepos Magni Ducis, & adeoque consentit directe in qualitatem, indirecte in personam, ad

eius novam notitiam venit, mediante nova notitia qualitatis; quando autem consensus contrahentis directe tendit in qualitatem, indirecte in personam præsentem, ita ut contrahens veniat in notitiam novam personae, mediante nova notitia qualitatis, tunc error qualitatis redundat in errorem personae. Sicut è converso, quando consensus contrahentis tendit directe in personam præsentem, & indirecte in qualitatem, tunc non redundat in errorem personae; ut exemplificatum est in n. 4003.

4009 *Hinc, ut bene ponderat Tamb. cit. intentio contrahentis dupliciter potest se habere. 1. Ut sit sensus: Volo hunc, quem puro esse nepotem Magni Ducis. 2. Ut sit sensus: Volo nepotem Magni Ducis, quem puro esse hunc. 1. modo error est in qualitate. 2. modo error qualitatis redundat in substantiam. In nostro casu consensus puellæ nobilis non fuit in hunc præsentem, quem putabat esse nepotem Magni Ducis; sed fuit in verum nepotem Magni Ducis, quem putabat esse hunc.*

#### QUÆRES V.

4010 *Alia puella nobilitate cognoscebat Joannem quem sepe viderat, deinde putans eum nepotem Magni Ducis, ex eo errore ducta, matrimonium contraxit, An valide?*

**R** Esp. Matrimonium esse validum, *Tancr. cit. n. 17.* quia revera contraxit cum persona, quam cognoverat, & intendebat; nova autem notitia falsa est qualitatis.

4011 *Vide discrimen inter hunc, & præteritum casum; nam in illo cognitio qualitatis traxit in cognitionem personae, & in eam sic apprehensam voluntas summè direxit, quæ cum non sit talis, error est personæ. In hoc vero cum persona sit prius cognita, cognitio qualitatis non traxit ad novam notitiam personae; adeoque error est solus qualitatis.*

#### QUÆRES VI.

4012 *Petrus volens contrahere cum Catharina ex errore contrahit cum Rosa, hunc expressè eliciens actum: Ducerem hanc, etiam si scirem, hanc non esse Catharinam, An matr. sit validum?*

**R** Esp. Matrim. esse invalidum, *Tancr. cit. n. 3.* quia consensus debet esse de præsentia. Unde validum esset, si diceret: *Duco te, quamvis non sis Catharina.*

#### QUÆRES VII.

4013 *Paulus duas habet filias, dicitas unam Catharinam, alteram Rosam. Petrus cognoscens utranque quoad personas, errans tamen quoad nomen, petit à Paulo Rosam, putans pterire per-*

*sonam, quæ revera vocatur Catharina. Paulus autem ignorans errorem Petri quoad nomen, ex dolo, dum fieri debet contractus, presentavit Catharinam, cum qua Petrus contraxit, An matr. sit validum?*

**R** Esp. Matr. esse validum, *Tancr. cit. n. 9.* quia quando constat de persona, error nominis est accidentalis. Et dolo Pauli est solum mentalis, nam illa presentatio externa Catharine est conformis intentioni Petri contrahentis.

#### QUÆRES VIII.

4014 *Puella convenit cum Paulo habente plures filios, nubere cum suo primogenito, post quam conventionem moritur primogenitus, puella ignorante, & renovare primogenitus alius frater, cum quo puella contrahit, An matr. sit validum?*

**R** Esp. Matr. esse invalidum, *Tancr. cit. n. 10.* quia qualitas primogeniti, pro qua facta fuit conventio, designavit tunc personam individuum vere talem, sed distinctam, unde contrahens cum novo primogenito ignorans mutationem personæ, contrahit cum errore personæ.

#### QUÆRES IX.

4015 *Unus ex filiis Pauli fugit se esse unigenitum, quo errore ducta puella cum eo contrahit. Alter vero ex filiis ejusdem Pauli fugit alteri puellæ se esse primogenitum, cum sit secundus. Quid?*

**R** Esp. Validum esse matrimonium in 1. casu, si invalidum in 2. *Tancr. cit. n. 19.* quia in 1. cum non erraretur in filiatione, sed in ratione unigeniti, non erratur in persona, sed in qualitate. In 2. qualitas primogeniti designat personam individuum ab illo distinctam.

#### 2. CONditio

4016 *Scilicet servilis unius personæ, ignorantem, ex cap. Si quis liber. Sive ignorantia sit antec. sive concomitans; sive invincibilis, sive vincibilis, ut n. 3998.*

*Nomine servi non veniunt famuli, qui aliqui ob mercedem inserviunt. Nec Coloni originarii, vel ascititii, nisi proprie servi, sed mancipia iusto bello capta, licet aliis vendita, seu illi servi, quos pater dominus vendere, hi sunt vere servi. Christiani autem à Christianis bello iusto capti, ex præcepta consuetudine non sunt servi, sed solum detinentur vulgo prigionii di guerra.*

4017 Validum est matrimonium liberi cum libera, cum ea fecerit, quæ modo est libera, sed antea fuit serva; quia non servitus præterita, sed ignorata dirimit.

4018 *Serva ignorans suam servitutem*, si bona fide contrahat cum libero pariter ignorante, invalide contrahit; quia ex jure servitus præsens ignorata à libero matrimonio dirimit; unde bona fides solum eam excusat à mortali.

4019 *Serva, quæ scit suam servitutem*, ignorat tamen eam esse impedimentum dirimens, ac proinde suam servitutem non manifestans libero illum ignoranti, cum eo contrahit, invalide contrahit.

Ratio est; quia licet ignorantia culpæ, aut pœnæ, excuset à culpa, aut pœna, ignorantia formæ non excusat ab invaliditate actus, si forma deficiat; quoniam forma est de essentia actus. Impedimentum autem dirimens non est pœna, sed se tenet ex parte formæ contractus; cum enim matrimonium sit contractus civilis, potest Legislator, & Princeps Ecclesiæ pro bono regimine Republicæ Christianæ aliquid addere, aut præscribere, quod se tenet ex parte formæ contractus, ita ut ejus defectus irritum reddat contractum; uti patet in suo Regno: quod alios contractus civiles dirimens non excusat ab invaliditate contractus matrimonii, quia impedimentum dirimens non est pœna, sed defectus solemnitatis, seu conditionis irritantis, se tenentis ex parte formæ contractus.

4020 *Servus, vel serva*, cum libera, vel libero valide contrahunt nolente domino, Scotus in 4. dist. 36. qu. 1. litt. E. quia servus habet aliquid juris in corpore suo; non enim privavit se quacunque libertate, & ad quoscunque actus, & pro quanto corpus ejus est suum, potest commutare cum alio; quia si alius, sive servus, sive liber, velit esse contentus illa modica possessione, sive ad modicum usum, quem scit, eum possidere, bene potest sibi ipsi præ indicare, & tenet commutatio. Et infra litt. F. Et sicut contrahunt, ita tenentur, postea reddere debitum, pro quanto fecerit illi actus non impediunt à servituti commutatio.

4021 Peccant tamen mortaliter, si licentiam non petant, nisi alias probabiliter timeant, quod impediretur. Quod si licentiam non obtineant, tunc possunt valide, & licite contrahere; quia dominus non potest sine mortali matrimonio servus, nec ejus rationabilem, & moderatum usum prohibere.

4022 *Servus conjugatus*, justus simul ab uxore ad reddendum debitum, & à domino ad aliquod negotium peragendum; si nuptis de consensu domini, tenetur potius satisfacere uxori,

reddendo debitum; si vero nuptis invito domino, tenetur potius satisfacere domino, Diana par. 7. tract. 7. resol. 38. Ratio pro utroque casu habetur ex Scoto cit. litt. E. & F. Pro primo, quia dominus, dum consentit, cessit juri suo utendi servo in simili casu. Pro secundo, quia servi per actus proprios sine voluntate dominorum non poterint se facere liberos; nec se à jure dominorum suorum magis oximere, quam prius.

4023 Eadem ratione peccat mortaliter dominus, si vendat, aut mittat servum in partes remotas, quo non potest uxorem cum sequi, si matrimonium sit factum de voluntate domini. Non peccat autem, si servus contraxit sine consensu domini, & domino urgeat gravis necessitas mittendi, aut vendendi servum ad partes remotas; solum, si nulla urgeat necessitas, peccat mortaliter, non contra iustitiam, sed charitatem, quæ tamen non obligat cum notabili detrimento.

4024 *Serva*, si contrahat cum libero ignorante, opera domini, aut saltem sciente, & tacente domino, sit libera ex jure in pensam delicti, & favorem matrimonii; unde matrimonium est validum. Item serva sit libera, si ducatur in uxorem à domino, & de converso de servo. Insuper, si vir solutus, & nullo alio impedimento ligatus, qui videlicet non sit in sacris, habuit ancillam in concubinam usque ad mortem; tunc si nihil de ancilla, & filius ex ipsa habitus dixit, manent liberi ex jure; ad quod requiruntur duo, nempe quod turpis usus ancillæ non fuerit ante mortem dimissus, & quod filii non sint nati ex concubitu damnato, videlicet ex adulterio, aut facti illegitimi, sed ex solummodo soluta, ita ut dominus servam ducere potuisset in uxorem, si voluisset.

4025 *Servus, qui contraxit cum serva ex errore*, putans esse liberam, valide contraxit; Scotus in 4. dist. 36. qu. 1. litt. F. nam error conditionis peioris impedit contractum, quia impedit commutatem recipere tantum, pro quanto intendit commutare; sed ignorantia melioris conditionis, vel equalis, non impedit propter contrariam rationem.

4026 Hac ratione, liber qui contraxit cum libera ex errore, putans eam esse servam, valide contraxit, Scotus cit. quia non invenit eam deterioris conditionis.

4027 *Coniuges, qui valide contraxerunt*, ob servitutem ignoratam à libero detecta servitute, si velint in matrimonio permanere, possunt illud ratificare per novum consensum; alioquin debent tam à petendo, quam à reddendo debito abstinere, quæ alias

alias omnis copula erit fornicaria: v. numer. 4246.

De hac materia sive agunt Dian. p. 7. tr. 7. Tancr. tom. 2. lib. 7. à dist. 19. ad 24. Leander tr. 9. dist. 11.

4028 **S**OLEMNE VOTUM  
Solemne castitatis, emissum in Religionem approbata, aut in susceptione Ordinis sacri, dirimit matrimonium. Similiter votum simplicis castitatis Patrum Societatis Jesu, quod emitti solet elapso biennio, dirimit, ex motu proprio Greg. XIII. Vide infra de Ordine sacro à n. 4064.

4. COGNATIO  
4029 **E**triplex, naturalis, spiritalis, & legalis.

COGNATIO LEGALIS  
4030 **E**st propinquitas personarum ex parte adoptionis extraneæ in filium, aut in filiam, legitima assumptio. Que fieri debet auctoritate publica, seu magistratus.

4031 Eius sunt tres species, quæ matrimonium dirimunt. 1. In linea recta inter ipsum adoptantem, & adoptatum, hujusque solos filios carnales descendentes usque ad quantum gradum; qui tamen non reperitur emancipati, sed sub potestate ipsius adoptati, quando sit adoptio. 2. In linea collateralis inter ipsum adoptatum, & solos filios carnales adoptantis; qui pariter sunt in potestate adoptantis tempore adoptionis, & non ultra. 3. Inter adoptatum, & uxorem adoptantis; atque inter adoptantem, & uxorem adoptati. Unde secunda, & tertia species non extenduntur ultra primum gradum. Hinc inter adoptantem, & parentes adoptati, similiter inter fratres adoptivos inter se, aut eorum filios, nullum est impedimentum; quoniam nullum jus illud ponit.

## COGNATIO SPIRITUALIS

4032 **E**st propinquitas inter aliquas personas ex regeneratione spiritali procedens, videlicet ex Baptismo, vel Confirmatione, non ex aliis Sacramentis. Hac cognatio, ex Trid. sess. 24. c. 2. i. contrahitur à baptizato, vel confirmato, cum baptizante, vel confirmante. 2. À baptizato, vel confirmato cum paterno, vel materno, & hæc duæ cognationes dicuntur: *Paterna*, & *Materna* spiritualis. 3. À paterno, vel materno, cum patre, & matre baptizati, vel confirmati. 4. À patre, & matre baptizati, vel confirmati, cum ipsa baptizante, vel confirmante; & hæc duæ posteriores dicuntur *compateritas*, & *commater-*

nitatis. Inter hos tantum contrahitur, & dirimit, non ultra. Omnino vide à num. 3008. ad 3013.

## COGNATIO NATURALIS

4033 **S**eu carnalis, quæ consanguinitas dicitur, est vinculum personarum, quæ ab eodem stipite per carnalem propagationem descendunt.

4034 *Stipes* est persona illa, à qua aliæ personæ, de quarum cognatione tractatur, descendunt.

4035 *Linea* est ordinata hujusmodi personarum series. Est duplex. Recta, & est earum personarum, quarum una est ab alia, sive ascendendo, sive descendendo: Et *Transversalis*, seu *Collateralis*, quæ est earum personarum, quæ descendunt ab eodem stipite, sed una non descendit ab alia, ut fratres, consobrina, &c.

4036 *Transversalis* est duplex: *Equalis* personarum, quæ æqualiter distant à stipite, ut fratres, sorores, &c. & *inequalis*, personarum, quæ inæqualiter distant à stipite, ut fratres, & filius sororis, &c. *Gradus* denique est ipsa distantia, quæ inter personas, de quibus agitur, intercedit. Hæc præmissis.

## IN LINEA RECTA

4037 **S**ive ascendendum, sive descendendum, tot sunt gradus, quot sunt personæ, seu quot sunt factæ generationes, dempto stipite. Sit

## SCHEMA LINEÆ RECTÆ

4. Joannes abavus.
  3. Jacobus proavus.
  2. Andreas avus.
  1. Paulus pater.
- PETRUS STIPES
1. Paulus filius.
  2. Andreas nepos.
  3. Jacobus pronepos.
  4. Joannes abnepos.

Ubi Paulus est in 1. gradu conjunctus cum Petro, quia dempto ipso stipite, qui est Petrus, una persona remanet; Andreas in 2. quia Petro dempto, quod personæ remaneant; & sic de reliquis.

IN LINEA TRANSVERSALI IN  
DISTANTIA ÆQUALI

4038 **T**O: gradibus una persona distat ab alia, quot gradibus illa una distat à communi stipite, dempto stipite. Sic

SCHEMA LINEÆ TRANSVERSALIS.

PETRUS STIPES.

- Paulus: *Frater, & soror 1. gr. Rosa*
- Andreas: *Confobrini prim. 2. gr. Anna*
- Jacobus: *Confobrini 2. 3. gr. Nimpha*
- Joannes: *Confobrini 3. 4. gr. Agatha*
- Thomas: *In nullo gradu. Ursula.*

Hinc Paulus est conjunctus in 1. gradu cum Rosa, quia uno gradu distat à Petro patre.

IN LINEA TRANSVERSALI IN  
DISTANTIA INEQUALI

4039 **T**O: gradibus una persona distat ab alia, quot gradibus persona illa que est à stipite remotior, distat ab eodem stipite, dempto ipso stipite. Unde in præfata schemate lineæ transversalis Paulus in 2. gradu distat à Anna, quia Anna, que est remotior à Petro stipite, duobus gradibus distat ab ipso stipite, dempto eodem stipite; sic descendendo, idem Paulus in 3. gradu distat à Nimpha, & in 4. ab Agatha.

4040 In linea autem transversali in distantia inequali, quamvis sola distantia remotior gradum consanguinitatis constituat, in dispensationibus tamen pro matrimonio inter consanguineos contrahendis ex dispositione Summorum Pontificum, maxime S. Pii V. considerari solet, & inde in memorialibus explicari etiam gradus proximior stipiti.

4041 Sic in eodem schemate lineæ transversalis Paulus dicitur primo gradu in secundo conjunctus cum Anna. Primo in tertio cum Nimpha. Primo in quarto cum Ursula. Denique primo gradu in quinto cum Ursula, & sic in nullo; quia extra quartum gradum nulla datur cognatio. Unde quando gradus remotior est extra quartum, nec gradus proximior est exprimendus, nec dispensatio est necessaria, quia nulla habetur cognatio.

Similiter Andreas est secundo gradu in tertio conjunctus cum Nimpha. Secundo in qua-

to cum Agatha. Secundo in quinto cum Ursula, & sic in nullo. Jacobus est tertio in quarto conjunctus cum Agatha. Tertio in quinto cum Ursula, & sic in nullo. Joannes est quarto in quinto conjunctus cum Ursula, & sic in nullo. Demum Thomas in nullo est conjunctus cum filia Ursula. Quæ exemplificata, & dicta sunt de latere sinistro ad dextrum, de viro ad feminas, pariter intelligenda veniunt de latere dextro ad sinistram, & de feminis in ordine ad viros.

4042 Omnis igitur consanguinitatis gradus, sive lineæ transversalis, sive rectæ, non extenditur ultra quartum gradum. Item solum primum gradum lineæ rectæ jure naturæ matrimonium dirimere, cæteros vero lineæ rectæ, & omnes lineæ transversalis, jure solum Ecclesiastico dirimere, docent Leander de matr. tract. 9. disp. 13. §. 5. Tamb. tom. 2. lib. 8. tit. 2. c. §. 5. à n. 18. & alii.

CASUS.

4043 **P**etrus filius Anne habuit rem cum Catharina, ex qua genuit Franciscam, & Paulus filius dicitur Catharina habuit rem cum præfata Anna, ex qua genuit Joannem, An Joannes possit valide nubere cum Francisca?

Causa est singularis, non tamen metaphysicus, sed præctus, quoniam in quadam mundi parte contingit, pro faciliiori tamen intelligentia fit

FIGURA



4044 Respondeo negative, quia inter Joannem & Franciscam reperitur cognatio naturalis primo gradu in secundo, orta tamen ex uno tantum stipite, nempe ex parte solius matris, sed iterata ex parte matris alterius, taliter ut Joannes sit Patruus simul, & Neptus Franciscæ, & è converso Francisca sit Amita simul, & Neptis Joannis, Joannes quidem, quia est filius Pauli fratris ex utero Franciscæ, est Neptus Franciscæ, & Francisca Amita Joannis, & è converso, quia Fran-

cisca est filia Petri fratris ex utero Joannis, est neptis Joannis, & Joannes patruus Franciscæ.

3045 **P**rimo tamen in secundo, quia Joannes ratione filiationis est primo gradu conjunctus cum Anna, cum qua est etiam secundo gradu conjuncta Francisca, utpote ejus neptis, quatenus est filia ejus filii; Francisca enim est filia Petri, qui est alia parte Franciscæ ratione filiationis est primo gradu conjuncta cum Catharina, cum qua est etiam secundo gradu conjunctus Joannes, utpote ejus nepos, quatenus est filius ejus filii; Joannes enim est filius Pauli, qui est filius Catharinæ, & frater Franciscæ.

Et consequenter Francisca, & Joannes conjunguntur primo gradu in secundo cognationis naturalis, ac proinde non possunt inter se valide nubere.

5. CRIMEN

4046 **E**t quadruplex. 1. Homicidium alterius conjugis, extrinsece ab utroque conventum, etiam sine adulterio, factum tamen ad finem nubendi.

2. Adulterium ab utroque cognitum, cum homicidio etiam non convento, factum tamen ab uno illorum ad finem nubendi, etiam altero ignaro.

3. Adulterium conventum cum pacto futuri matrimonii.

4. Si supposito matrimonio saltem rato cum una, committat adulterium cum alia, & insuper contrahat matrimonium cum illa per verba de presenti. Dirimit etiam mortua propria uxore, ita ut soluto ligamine non possit illam ducere, unde hoc impedimentum est distinctum à ligamine.

4047 Impedimentum criminis est à jure impostum ad vitandum odium Sacramenti, & homicidium conjugis. At si aliqua conditio ex præmissis deficiat, crimen non dirimit, quia sumus in odiosis.

QUÆRES I.

4048 **P**etrus conjugatus solutus rem habere cum Berta, una vice est cum illa concubatus: Si mortetur mea uxor, te in uxorem ducere. Evenit deinde casus, ut illa decesserit, An possit cum illa nubere?

**R**esp. posse, Tancr. to. 2. de matr. lib. 7. pag. 144. n. 7. Ratio mea est; quia non habetur impedimentum criminis, nam leotio illa non fuit promissio, sed voluntas, ac simplex offensio animi, & expressio amoris; Cænones autem loquuntur expresse de promissione, adeoque cum sumus in odiosis, extendi non debent ad simplicis animi & amoris ostensionem.

4049 Similiter non incurrit impedimentum, si dicat: Si volueris, te ducami quia promissio non est, quæ ad propriam voluntatem refertur.

QUÆRES II.

4050 **P**etrus conjugatus promissit Bertæ se cum dulturum in uxorem mortua propria, & adulteravit, venit casus, ut hæc sit mortua. Petrus vero matrimonium contraxit non cum Berta, sed cum alia, adducit cum Berta adulterium sequens; deinde hæc secunda uxor decessit, An Petrus possit matrimonium iterare cum Berta?

**R**esp. posse. Sylv. de matr. n. 8. v. s. §. 9. quovis. Alarius Canonæ conscientia crimis, s. quia dum flante promissione, etrus mortua uxore, non Bertam; sed aliam duxit, promissio fuit retractata per adum facti, conficia Berta, & revera (humano modo loquendo) Petrus dicitur infidelis, & fregisse promissum: ex communi autem sententia promissio non debet esse, nec explicate, nec tacite revocata, sed durans.

6. CULTUS DISPARITAS.

4051 **S**eu Religionis, dirimit inter baptizatum, & non baptizatum, ut inter Christianum, & Turcæ: quia Baptismus est janua Sacramentorum. Infidelitas, si superveniat post matrimonium, non dirimit, licet possit esse causa divortii: Inter baptizatos autem, quorum alter est hæreticus, non dirimit, sed impedit, ex Concilio Calcedonensi can. 14. & cap. Decretis, de hæret. in 6. ubi matrimonia cum hæreticis prohibentur, & mulier privatur dote; unde persona Catholica cum hæretica contrahens, peccat mortaliter ob periculum discordiarum, & subversionis sui, aut prolis, Basemb. lib. 2. tit. 1. c. dub. 2. n. 7. ait, in Germania licere ex gravi causa, salvo tamen jure naturali, & sensu periculo, tum contrahentis, tum prolis, unde de iis, initio constituti debet, ut catholice educentur.

4052 Si ex conjugibus infidelibus unus convertatur ad fidem, altero in sua infidelitate remanente, remanet matrimonium, si conjug infidelis velit cum fideli cohabitare sine injuria Creatoris. Si vero conjug infidelis recedat physice, videlicet, si non velit cum fideli cohabitare; vel si recedat moraliter, videlicet, si velit habitare, sed non sine injuria Creatoris, quatenus eorum conjuge fideli Christum, & fidem blasphemet, cum tenet à fide divertere, vel prolem futuram fidelem non vult, &c. tunc matrimonium, etiam si fuerit consummatum, dissolvitur quoad vinculum, ita ut conjux fidelis possit ad aliud matrimonium cum Christiano transire, ante omnem senten-

446 Examen Confessariorum. Tom. I. Pars IV.  
 tantiam ex lege Christi in privilegium fidei promulgata per D. Paulum 1. ad Cor. 7. *Quod si in fidelis discedat, discedat; non enim servitur, hoc est ligamini conjugali, subiectus est frater, aut soror in huiusmodi.* Tamb. tom. 2. pag. 152. Plura Tanc. to. 2. de matr. lib. 7. disp. 74. v. n. 411.

### QUERES.

4053 *Tanca Panormi factus liber emit ancillam, quam deinde duxit in uxorem, que ancilla unis ad fidem converti, & quia non confertur: imo pretendit eam remansuram servam, quid decidendum?*

**R**ep. cum Tanc. p. 2. tom. 5. tract. 5. qu. 65. Si vir non velit. cum ea habitare abique injuria Creatoris, tunc uxor non potest ab eo vendi, quia ex matrimonio cum libero, acquisit libertatem, nedum ex jure positivo, Glof. in c. Si quis ancillam, dist. 34. sed etiam naturalis; nam cum conjuges hant una caro, debet etiam inter illos fieri communicatio honoris, & fedis, & libertas femel concessa, est irrevocabilis. Eadem ratione non tenetur recompensare pretium; eo maxime, quia ipsa non est in culpa, quia preceptum Baptismi obligat omnes.

4054 Item eo ipso, quo uxor transit ad fidem, cogitur ad precepto Ecclesie, ut separetur a viro infideli non lente converti ad fidem, atque cum eo habitare abique injuria Creatoris; unde potest ad aliud matrimonium. cum Christiano transire, quia jam prius est redditum irritum.

### 7. VIS, ET METUS

**E**st duplex, cadens scilicet in virum constantem, & cadens in virum inconstantem. Metus cadens in virum constantem, seu metus gravis, quatuor conditiones requirit.

1. Quod malum, quod timetur, sit grave, ut in n. 221. 2. Quod cum fundamento, & non leviter timeatur. 3. Quod qui minatur, possit minas exequi. 4. Quod qui timet, non possit minanti resistere, aut vitare mala, que timet. His deficientibus, metus est levis, seu cadens in virum inconstantem.

4056 Nomine metus gravis venit metus reverentialis superiori, aut patri debitus, si est conjunctus cum rationabili timore, ne superior aut pater rigide, vel male tractet filium aut filiam: v. n. 1400.

4057 Ut metus gravis, seu cadens in virum constantem, invalidet contractum matrimonii, tres requiruntur conditiones. 1. Quod sit incussus a causa extrinseca libera, nempe ab alio homine. 2. Quod sit incussus ad fidem extorquendi contractum matrimonii. 3. Quod sit incussus iniuste.

4058 *Ex defectu prima.* Validum est matrimonium. 1. Si concubinarium metu infirmi, vel mortis, in morbo, aut naufragio concubinarium ducat. 2. Si quis a medico perclusus non dicitur de vicium, nisi dicitur uxore, eam ducat. 3. Si in carcere concessus, sine evadendi, nubat cum filia hictoris: quia tunc non ab alio, sed a seipso impellitur ad eligendum matrimonium, tanquam medium sui boni animae, aut corporis.

4059 *Ex defectu secunda.* Validum est matrimonium. 1. Si quis ad mortem damnatus, ut evadat, nubat cum meretrice, aut alia juxta statutum illius Regionis. 2. Si Princeps obfessus offerat filiam in matrimonium obfidentis, ut obfidentem liberetur. 3. Si raptor, aut deflorator virginis, metu mortis se offerat iudici, aut ejus consanguineis eum occidere volentibus, ad nubendum cum illa, & nubat: quia est abs metu intrinseco procreante.

4060 *Ex defectu tertia.* Validum est matrimonium. 1. Si Episcopus excommunicationem minetur alicui, nisi ducat puellam, cum qua sponsalia contraxit. 2. Si iudex cogat illum ad docendam puellam, quam violavit. 3. Si quis deprehensus in crimine cum filia, minis afficiatur, quod accusaretur, nisi eam ducat. 4. Si puniendo ob homicidium probatum promittatur impunitas, si ducat filiam; aut uxorem occisi; quia contrahenti non fit injuria, cum ipse dederit causam metus iuste incutiendi. Imo ipse cogitur ad id, quod facere tenebatur; ac proinde metus potius videtur esse ab intrinseco, cum ipse ejus dederit causam: v. n. 1800.

### QUERES.

4061 *Puella nobiles, propria cymba tempore sua causa coersa, metu mortis contraxit per verba de presentia cum alio nupta, ut in eju cymba reciperetur, an valide?*

**R**ep. valide, Ardekin tom. 2. pag. 286. n. 9. quia metus fuit ab intrinseco incussus.

### 8. O R D O

4062 **S**acer valide sumptus dirimit matrimonium post ipsum contractum, non solum ratione voti solemniter castitatis Ordini sacro annexi, sed etiam ex lege Ecclesiastica, que inhabilem ad contrahendum reddit ipsum ordinatum in sacris, directe ratione Ordinis sacri, Scetus in 4. dist. 27. quoniam. *Ita. B. quia talis de statutu ministeria sacro, quod requirit munditiam mentis, & carnis: quod magis conformatur Concilii Tridentini.*

sess. 24.

sess. 26. cap. 7. Hinc Ordo sacer est impedimentum distinctum a voto. Plura videre potes apud Tanc. de matr. tom. 2. tr. 7. disp. 25. ad 30. Tamb. tom. 2. lib. 7. c. 3. §. 3.

4063 Utrunque solo iure Ecclesiastico dirimit. Nam votum solemnem non dirimit extrinseca rei, qua votum: alioquin votum simplex castitatis dirimeret; sed qua solemnem: solemnitas autem est auctoritate Ecclesie inducta. Bonifacius VIII. cap. Unico de voto in 6. & Greg. XIII. in Bulla Ascendente, dicitur, *solemnitatem voti Ecclesie institutione esse introductam.* Item votum simplex Societatis solium capit esse dirimere per Bullam Greg. XIII. *Ascendente Domino*, ante quam non dirimebat.

4064 Matrimonio autem inito, antequam consummatur, potest conjux Religionem ingredi; quia matrimonium ratum dissolvitur per professionem Religiosam.

4065 Matrimonio tamen iam consummato, nec licite, nec valide conjux sine expressa licentia alterius conjugis potest Religionem ingredi, & profectio facta est nulla, ita ut mortua uxore non teneatur ad Religionem; uxore autem vivente, tenetur ad illam regredi. Non potest tamen petere, sed solum reddere debitum; quia emisso illa votum, licet non obliget in vim professionis solemniter Religiosa, ut pote que fit in prejudicium alterius conjugis, obligat in quantum potest, videlicet in vim simplicis voti castitatis, ac proinde est impeditus a petitione debiti, in quo non prejudicatur conjugi; cum etiam ipsa post matrimonium ponatur a hantatem vivere, & non petere debitum; & ita ea mortua, teneatur castitatem servare, & *Quidam 3. Placeat 12. de conversatione conjugatorum.*

4066 Quod si uterque conjux in Religione proficiteretur sine mutua licentia, valida erit utriusque profectio; quia tunc per actum facti censentur sibi mutuam licentiam dedisse, Pirhing. *tit. cit.*

4067 De alterius autem conjugis libera & expressa licentia, licitum est per se conjugi Religionem ingredi, & profectio erit valida. Dixi per se; quia per accidens potest esse illicita, ut si habeat filios, qui eo indigeant, si sit gravatus debitis, &c.

4068 Et quia tunc materia non dissolvitur quoad vinculum, sed quoad usum, si vir profectus uxorem etiam professam cognosceret, non peccaret contra justitiam, sed contra votum.

4069 Non potest tamen unus conjugum Religionem ingredi, nisi alter etiam Religio-

nem ingrediatur, c. *Cam sis, cap. uxoratus, de convers. conjugat.*

4070 Quod si alter velit in saeculo remanere, tres requiruntur conditiones. 1. Ut conjux superflus sit senex, videlicet sexaginta annorum, si vir: quinquaginta, si mulier: Ita quod datur arbitrium Episcopo, ut considerata conjugum complexione, valetudine, robore, &c. possit in casibus particularibus de senectute debita judicare. 2. Ut non sit suspensus de incontinentia. 3. Ut emittat votum castitatis, quod est votum simplex. Insuper ex consuetudine est necessaria cognitio, & licentia Episcopi.

4071 Quod si conjux, qui licentiam dedit, sit juvenis, & nolit Religionem ingredi, ut intra annum Novitatus egrediat, vel sit senex, & nolit votum continentiae emittere, & alter conjux reperitur profectus: profectio est valida, & relicta in saeculo persuaderi potest, non cogi, ut Religionem proficereat, aut votum continentiae emittat; quia votum debet esse liberum. Quod si nolit, & adit periculum incontinentiae, tunc Episcopus jubere debet marito profectum, ut ad uxorem revertatur, cap. *Propterea 1. tit. cit.* qui ratione voti solemniter castitatis sine dispensatione Papae, reddere potest, non petere, & uxore mortua aut votum castitatis emittente, tenetur ad Religionem reverti.

4072 Si vero uxor relicta in saeculo castitatem voveret, non posset revocare conjugem profectum; quia ratione voti castitatis nec potest petere debitum, Tamb. tom. 2. lib. 8. c. 4. §. 1. v. n. 4292.

### DECLARATIO.

4074 **O**rdini sacro est annexum, non praeceptum (ut probabiliter tenent plures) sed votum solemnem castitatis, Fagnanus in lib. 5. cap. *Tuae litterae, tit. de Cler. per saltum promoti, Tamb. lib. 7. de Ordin. cap. 3. §. 3. Gobat tom. 2. tr. 8. casu 20.* Ratio est prima; quia in pluribus textibus obligatio castitatis Ordini sacro annexa vocatur votum.

4075 Secundo, quia Ordinatus in sacris, si castitatem violet per actum pure internum, puta per delectationem morosam, aut desiderium (ut omnes fatentur) sacrilege peccat: quod non esset verum, si ad eam teneretur solo precepto Ecclesie; quia Ecclesia non praecipit aliquid pure internum.

4076 Hoc autem votum dicitur implicitum, quatenus qui ordinatur, libere suscipit Ordinem sacrum, qui est cum eorum votum castitatis, quod votum soli profectio est an-

annexum essentialiter, ac ex sui natura, & ex de eius substantialia, c. Cum ad Monasterium, de Ritu Monach. Ordini autem sacro est annexum solum extrinsece ex precepto Ecclesie, cap. Cum olim, de Cler. conjug. cap. A muliere, de arate, & qualitate ordinand. Ratio vero impeditur dimittens est annexa Ordini sacro pariter ex constitutione Ecclesiastica, non ex natura rei, Scotus cit. & inuit Trident. sess. 24. can. 9. Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, post matrimonium contrahere, contra quamque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, Et. anatema sit.

## EX DICTIS RESOLVES

4077 **P**rimo, qui in arate debita scienter suscipit Ordinem sacrum cum expressa intentione nolendi se obligare voto castitatis, non ligatur voto; quia votum debet esse voluntarium: peccat tamen tam in Ordinis susceptione, quam pro sequenti tempore contra preceptum Ecclesie obligans eum, quilibet Ordinem sacrum suscipit, ad suscipiendam obligationem voti, & oneris Ordini annexi. At si nubat, iuvalide nubit; quia Ordo facer dicitur, & irritatio non dependet à voluntate propria, ut in voto: sed à lege Ecclesie.

4078 Si quando suscipit, ignoravit votum, non ligatur voto; quia votum est promissio deliberata; nec peccavit ob ignorantiam, sed si nubat, iuvalide nubit; quia Ordo facer dicitur: & iste, si velit uti Ordine, debet voto se obligare. Quod si nolit, dispensationem petat ob ignorantiam: quae tamen difficulter praesumitur, cum hodie vulgatum sit; Ordini sacro esse annexum votum, & preceptum divini Officii.

4079 Secundo, adultus suscipiens Ordinem sacrum, non habens intentionem suscipiendi, iuvalide suscipiet ex defectu intentionis: unde potest nubere, & non tenetur ad castitatem, ac ad divinum Officium, adeoque fornicanando non peccat contra votum: sed facillime suscipiet, nisi licet suscipiet per violentiam & coactionem. Ita res se habet quoad forum internum; quoad forum vero externum, secundum externa procederet.

4080 Tertio, qui per vim, & metum iniustum, gravem, cadentem in virum constantem, ab extrinseco ab alio homine incussum, Ordinem sacrum suscipit, non tamen dissentiens, nec reclamans, valide suscipit Ordinem, & inde non potest nubere, nisi post dispensationem: sed non ligatur voto, nec practico divini Officii; quia ad Sacramen-

tum valide suscipiendum sufficit voluntarium simpliciter: quod stat cum metu gravi: ad votum vero, & obligationem Officii divini requiritur maior libertas, nempe libertas à coactione, & plena, ut dictum est de contractibus in n. 2360.

4081 Dices, qui ex metu iniusto emittit professionem solemnem, prebato metu, potest valide, & licite nubere: igitur

Resp. Disparitatem esse, quia qui sic profertur, iuvalide profertur ex lege Ecclesie in c. ult. qui Clerici, vel Monachi, tit. de iur. qui vis, mensura causa sunt, requiritur ad validam professionem consentiam plene liberum. Qui vero sic Ordinem suscipit, valide suscipit, cum sufficiat consensus simpliciter: adeoque subditur irritatiōi matrimonii Ordini Sacro annexa, Pirhing. tit. 11. §. 2.

4082 Hic autem, si post metum velit in usum Ordinis permanere, tenetur ad castitatem, & horas: similiter si metu cessante, semel Ordine usus est; non potest ab Ordine, & voto resiliere; quia usus Ordinis est ratificatio Ordinis.

4083 Quarto, infans, si coarctatur in sacris, valide, est illicite, ordinatur: positive autem dissentiens, nec valide ordinatur, cum aliud sit consentire, & aliud positive dissentire; ait Pirhing.

4084 De tali infante specialiter disponit Ecclesia, ut postquam ad annos ad votum castitatis sufficientes [de quibus modo] pervenerit, detur ei optio, ut si velit usui Ordinis stare, stet: sed teneatur voto; quia per talem electionem implicite votum castitatis emittit. Si nolit, possit nubere, sed Ordine non utatur, Tamb. de Ordine c. 3. §. 3. n. 16.

## QUÆRES I.

4085 *Qui post annos discretionis, sed ante annos pubertatis, nempe ante annos quatuordecim expletis, suscipit Ordinem sacrum, sciens esse annexum votum castitatis, An teneatur ad castitatem?*

**S**anchez cum aliis apud Tamb. cit. num. 18. & Fagnanus in lib. 5. c. Tue littera, de Clericis per saltum promotis, tenent, quod sicut ex Trid. c. 15. sess. 25. de Regularibus, non potest quis valide ligari voto castitatis in professione solemnem, emissam ante annos sexdecim expletos; ita nec voto castitatis in susceptione Ordinis sacri, facta ante annos sexdecim expletos, etiam si talis susceptio fuerit post annos quatuordecim ratificata, & addit, eum posse licite nubere.

Tamb. cit. cum aliis asserit, teneri ad castitatem.

fitatem; quia puer rationis compos valide se obstringit voto.

4090 Dico 1. cum teneri ad castitatem, nec potest nubere, si post finem anni decimi quarti ratificet susceptionem Ordinis antea factam. Non teneri vero ad castitatem, sed posse nubere, si post finem anni decimi quarti, statim, hoc est infra triduum, reclamavit, licet antea tacuerit, Fagnan. cit. n. 42. 70. & 73.

4091 Prima pars probatur solvendo rationem primæ opinionis; Disparitas enim est evidens. 1. Quia lex Trid. irritat professionem Religiose ante annos sexdecim emissam; at non votum castitatis Ordini annexum. 2. Quia votum Ordini annexum solum affert gravem castitatis; at Professio Religiosa plura & majora gravamina secum asserit: nempe ultra Castitatem, Obedientiam, Paupertatem, Clausuram, & Religionis asperitatem; & ideo majorem deliberationem exposcit Professio Religiosa, quam votum castitatis: adeoque Tridentinum requirit pro valida professione, quod sint elapsi duo anni pubertatis: quod non currit pro solo voto castitatis.

4092 Ordinationem suam ratificare quis potest expresse pro actum expressum voluntatis etiam internum, quo eam approbet, volens suo tempore ea uti; vel tacite per usum Ordinis, aut ejus privilegia.

4093 Secunda pars probatur à Fagnano: Quia ante annos quatuordecim non potest quis, etiam si velit, se expresse adstringere ad votum continentie, cap. 1. 20. quæst. 1. Ergo multo minus potest tacite per susceptionem Ordinis Sacri. Ita Innoc. & Canonizati. Cujus rei ratio est, quia de voti essentia est, quod sit promissio deliberata, hoc est facta cum plena advertentia & cognitione materiae voti, quæ perfecta cognitio materiae castitatis regulariter non habetur ante annos pubertatis; quia ante annos pubertatis vir non habet potentiam coeundi, nec inde potest matrimonium contrahere: adeoque ante annos pubertatis potest se ligare aliis votis, sed non potest regulariter se ligare voto continentie, licet annos discretionis teneat, nisi malitia suppleat artem, ut plenam cognitionem materiae voti castitatis habeat; quia nemo potest renunciare ei, quod ignorat, Abbas apud Fagnanum cit. & per hoc soluta manet ratio P. Tamb.

Nec obstat taciturnitas; quia pro eo tempore non poterat se voto continentie adstringere: & quando poterat, post finem anni 14. infra triduum reclamavit, seu dissentit.

4094 Hinc, qui post annos discretionis, sed ante pubertatem, suscipit Ordinem Sacrum, sciens, ei esse votum continentie: an

Exam. Ecclesiast.

nexam, post Ordinis susceptionem tacuit, & post annos quatuordecim infra triduum etiam tacuit, licet Ordinationem suam non ratificaverit, ligatur voto, nec potest nubere; Fagnanus cit. num. 74. non ex taciturnitate, sed ex perseverantia consensu in Ordinatione suscepta, qui licet non potuerit ligare ad castitatem in principio, ob etatis defectum, ligat eo sublato per superveniens artem. Sicut votum Religionis, quod vir emittit, vivente uxore, & ea contradicente, non ligat ea dispartente, ligat vero uxoris impedimento sublato. Insuper ipsa non reclamatio, tempore, quo poterat reclamare, censetur Ordinis suscepti ratificatio.

4095 E contra, si post Ordinem susceptionem statim contradixit, & in contradictione perseveravit; post finem vero anni 14. Ordinationem non approbavit, nec reprobat, sed tacuit, non ligatur voto, & potest nubere; Fagnanus cit. num. 70. quia censetur in priori dissenso perdurasse; dissensus enim, sicut & consensus, non presumitur mutatus, nisi probetur.

4096 Confirmatur ex cap. Majores, §. fin. de Baptismo: ubi dicitur: Dormientes autem, & amentes, si priusquam amentes fuerint, aut dormirent, in contradictione perseverarent, in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare. Et Glossa ibi in cap. 1. loquens de voto solemnium Religionis, ait: Quia constabat de profestatione voluntatis ab initio facta, adhuc presumitur nolle.

4097 Suadetur exemplo sponsalium, quæ ante usum rationis contracta, sunt invalida ex defectu consensus, & per superveniens artem non convalescunt, nisi verba vel facta ratificentur, & non sufficit sola taciturnitas.

4098 Similiter matrimonium ante annos à Trid. requisitos metu contractum, sublato impedimento, non validatur sola taciturnitate, sed expresse consensu, vel copula affectu maritali habita.

## QUÆRES II.

4099 *Infans ante usum rationis suscipit Ordinem sacrum; post septennium nec consentit, nec dissentit, tacite aut expresse; sed tacuit, negativè se habendo: at in fine anni 14. infra triduum reclamavit, An ligetur voto?*

4100 **R**espond. non ligari voto, Fagnanus cit. num. 52. Et probat. tria cum eo ditinguendo tempora. Primum, quando suscipit Ordinem: Et tunc non potuit ligari, ob defectum usus rationis. Si

ff

cun-

cundum post septennium: Et neque ob defectum de liberationis: v. nu. 4054. Tertium post finem anni 14. Et tunc non se ligavit, quia statim contraxit; & ita nullo tempore se ligavit.

4101 Non obstat character impressus, quia votum est Ordini annexum, ex constitutione Ecclesie, ut in n. 4064. & 4074. Et Ecclesia non potest invitum ad votum continentie obligare, & integritas 32. q. 1. & c. De his. Quibus autem voluntas propria interrogationis tempore desiderium nubendi persuserit, concessam ab Apostolo licentiam auferre non possumus.

4102 Difficultas maior est, An si prædictus etiam post finem anni 14. taceat, mere negatur se habendo?

Etiam hunc non ligari voto, docet Fagnanus cit. n. 55. Quoniam ex sola taciturnitate (ait ille) in materia tam gravis & præjudiciali non inducitur obligatio, I. Non solum in priv. & l. Filius familiaris, §. invidiosus, ff. de procurat.

4103 Non obstat (subdit) iura in contrarium, cap. Diaconus 27. dist. cap. Pleumque 2. qu. 7. quæ probant, taciturnitatem haberi pro consensu; quia procedunt, quando cum taciturnitate concurrens actus positivus: nam Diaconus ille protestatus fuerat se velle matrimonium contrahere, nec posse in castitate permanere; postea Ordinem Diaconatus suscepit, & quamvis in ordinatione taceret, matrimonium posse contrahere non potuit, quia factio ipso à professione recessit.

Atque ita præter taciturnitatem ibi intercessit actus positivus susceptionis Ordinis Sacri, cui votum continentie est annexum: qui autem libere recipit alterum connexorum, censetur ad alterum connexorum se obligare, Abbas in cap. Non in eundem, & c. Ita ille qui

4104 Uterius suadet exemplo: Si quis recipiat, & legat epistolam, in qua continetur cum debere centum, & non contradicat, censetur debitum confiteri; quia cum taciturnitate concurrens actus positivus receptionis, & lectio litterarum ejus debentur continentium.

4105 Quando igitur actus positivus non intercedit, tacturnitas solum in favorabilibus habetur pro consensu, ex Reg. 6. Qui tacet; minime in præjudicialibus, Bald. cons. 299. quia sicut in favorabilibus facit quis consentire: ita in præjudicialibus taciturnitas dissentire.

## A M E N S

4106 **V** Alide, etsi illicite, pariter ordinatur, ut in eo. 3. n. 18. & de eo resp. sive juxta dicta discurre.

## 9. LIGAMEN

4107 **E**t vinculum viri cum uxore post contractum matrimonium legitimum, sive consummatum, sive tantummodo ratum. Dirimit, quando durat, ita ut non possit valide de quæsaliam ducere, nisi fit moraliter certus de morte conjugis. Quod si postea ille comparat, tenetur alia compari, dimisso peritiori conjugis, cum quo bona fide habitavit, ad priorem redire.

Ligamen dirimit jure divino, & naturali, Trid. sess. 24. can. 2. Unde Sancti Patres, qui plures habuerunt uxores, ex divina dispensatione habebant.

4108 Qui sine morali certitudine, & sufficienti probatione de morte conjugis, ad secundas nuptias transit, illicite, sed valide contraxit, si revera, quando contraxit, prior conjux erat mortuus, ex cap. Dominus, de secundis nuptiis; quia revera tunc non erat ligamen.

4109 Ad vitandum delictum polygamie sunt adhibenda diligentia pro libertate contrahere volentium; adeoque sunt præmittendæ denunciations, de quibus à n. 3069.

4110 Si alter ex sponsis fit extraneus, non est admittendus, nisi suam libertatem probet per attestations à proprio Episcopo, vel Vicario Generali, subscriptas, & sigillatas. Sufficit autem assistentia Parochi loci, de licentia tamen Ordinarii. In Italia adest instructio S. Congr. quæ in Cancellariis Episcopalibus reperitur.

4111 Turca plures habens uxores, si convertatur ad fidem, obligatur tenere primam, & dimittere reliquas, quia solum primum matrimonium est validum; si prima velit cum conjugis fidei habitare sine injuria Creatoris, ut in nu. 4052. Alias potest ad sui libitum, prima dimissa, unam ex aliis tenere; sed cum ea debet de novo contrahere, ob invaliditatem matrimonii prioris.

4112 Si maritus mortuus resurgat, mulier, etiam si sit libera, non tenetur ad illum redire, imo non potest sine novo contractu; quia ex D. Paulo 1. ad Cor. 7. Mulier alligata est legi, quantum tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat.

Plura de mortuo resuscitato resolvit Mendo

in

in epis. in appendice, quæ tamen ex dictis propriis in locis patent.

## 10. HONESTAS.

4113 **P**ublica honestas est propinquitas jure Ecclesiastico oriens ex sponsalibus, aut ex matrimonio rato. Et describitur, quod sit publica decencia, & motum honestas, ut matrimonium impediat inter personas sic factas propinquas. Ex sponsalibus validis dirimit inter sponsum, & consanguineos sponse, & d. converso, solum usque ad primum gradum. Trid. sess. 24. c. 3. Non oritur ex sponsalibus invalidis, Trid. cit. Ex matrimonio vero rato dirimit usque ad quartum gradum: v. n. 3939.

4114 Ex matrimonio rato, & non consummato, non oritur affinitas, sed publica honestas: nam affinitas oritur ex sola copula.

4115 Ex sponsalibus validis, si postea mutuo consensu sponsum dissolvantur, adhuc remanet publica honestas. Ratio est 1. Quia publica honestas ex Trid. oritur ex sponsalibus valide contractis: licet autem postea mutuo consensu dissolvantur, verum est, quod sponsalia fuerint valide contracta. 2. Quia si post sponsalia valide contracta, imo si post matrimonium ratum intra bimestre alter ex sponsis, aut conjugibus, ingrediatur Religionem, & profiteatur, dissolvuntur sponsalia, & matrimonium, & tamen remanet publica honestas. 3. Nostram resolutionem firmat Decr. S. Congr. Conc. approbatum ab Alex. VIII. 6. Julii 1678.

4116 Ex sponsalibus conditionatis oritur publica honestas conditione adimpleta, non prius; quia tunc, & non prius, sunt valida. Clericus c. 133. n. 76. Qui tria quæstia resolvit, ut sequitur:

4117 **Q**uer. 1. An præfatum publice honestatis impedimentum oriatur ex matrimonio rato, sed invalido? Resp. Cum distinctio, ne, quæ menti est valde mandanda. Vel 1. invaliditas provenit ex defectu consensu, puta ob errorem in personam, aut per vim, & metum; & in hoc casu impedimentum publice honestatis non oritur: vel invaliditas provenit ex quocumque alio impedimento, vel defectu, & in hoc casu oritur, Tamb. qui alios allegat d. lib. 8. de matrim. tract. 1. §. 2. ubi advertit, quod si matrimonium sit nullum ex defectu sufficientis consensu ob non debitam ætatem, in hoc casu non oritur impedimentum publice honestatis ex matrimonio rato, sed oritur ex sponsalibus, quia licet matrimonium non valeat, valent sponsa-

lia; quod repetit idem Tambur. dist. lib. 8. n. 3. de sponsal. c. 2.

4118 **Q**uer. 2. An ex Matrimonio rato sub conditione de futuro, hoc impedimentum resultet? Resp. Non resultare, si conditio non compleatur: resultare, conditione completa, Tambur. dist. tract. 1. cap. 11. §. 3. num. 5.

4119 **Q**uer. 3. An conditio completa super matrimonio apposita, impedimentum resultans dirimat usque ad primum gradum, tanquam à solis sponsalibus proveniens, vel dirimat usque ad quartum, tanquam à matrimonio profectis? Resp. Esse hinc inde opiniones Doctorum; sed magis probabilem reputari, quod dirimat totum usque ad primum gradum, & habetur tanquam proveniens à sponsalibus, eo quia matrimonium contractum sub conditione de futuro videtur habere vim sponsalium; nam conditio adimpleta adhuc opus est consensu ad perfectendum matrimonium, Tambur. dist. §. 3. num. 6. & d. lib. 8. tr. 4. §. 1. num. 11: ubi ait, utramque opinionem esse probabilem.

## 11. AFFINITAS

4120 **E**t propinquitas personarum orta ex carnali copula, sive licita, sive illicita. Affinitas orta ex copula licita, se extendit, & dirimit usque ad quartum gradum; ex copula vero illicita, solum usque ad secundum.

4121 Contrahitur solum ab uno extremo copulæ, cum consanguineis alterius extremi copulæ, minime à consanguineis unius cum consanguineis alterius, quia affinitas non parit affinitatem. Unde Petrus, qui habuit rem cum Berta, non potest etiam mortua Berta, valide nubere cum sorore Bertæ: at frater Petri potest valide nubere cum sorore Berte; hinc est, quod duo duo fratres valide possint duas sorores ducere.

4122 Gradus affinitatis desumuntur juxta gradus consanguinitatis: v. n. 4132.

4123 Affinitas non oritur ex quacunque copula, sed solum ex copula consummata cum effusione seminis intra vas naturale mulieris.

Quod si viro seminate, mulier non seminat, licet probabilis sit opinio, quod non oriatur affinitas, Tambur. & Clericus cap. 133. nu. 90. probabile est, quod oriatur, juxta opinionem; quod mulier passiva se habeat ad generationem, & quantum probabilis sit quod se habeat active, quantum tamen ad impedimentum affinitatis, est in praxi tenenda opinio affirmativa, ad vitanda incommoda, quæ alias sequi possunt, quia viri femina-

Et 2. timo-

tio est confians, & apparens, minime illa mulieris.

4124 Copula consummata facta per vim, & metum, quavis non affricat patienti penam non petendi debitum, cum poena supponat culpam; parit tamen afinityatem, quia afinitys non est poena, sed propinquitas, quae semper infurgit ex copula consummata; sicut etiam infurgit, si copula fiat cum ignorantia juris.

### Q U E R E S I.

4125 Petrus contraxit sponsalia cum Rosa, postea habuit nuptias cum Catharina matre Rose, An possit nubere cum Rosa, cum qua sponsalia contraxit?

**R**esp. non posse, quia ob copulam habitam cum Catharina matre Rose, orta est afinitys inter ipsum Petrum, & Rosam, quae afinitys orta ex copula illicita se extendit usque ad secundum gradum, & sic se extendit inter ipsum Petrum, & Rosam, quae est in primo gradu conjuncta cum Catharina ejus matre: Et impedimentum ditrimens superveniens dirimit sponsalia, ex n. 3929.

4126 Petrus I. An saltem possit contrahere matrimonium cum ipsa Catharina matre Rose?

**R**esp. neque posse, quia ex sponsalibus validis initis cum Rosa, orta est publica honestas inter Petrum, & Catharinam matrem Rose, quae est in primo gradu, & dirimit matrimonium.

4127 Petrus 2. An dicitur Petrus possit matrimonium contrahere cum Margarita consobrina Rose?

**R**esp. posse, si Margarita non sit in secundo gradu consanguinitatis conjuncta cum Catharina matre Rose, qualis est, si sit consobrina secunda. Ratio est; quia ex una parte Margarita consobrina Rose, non est in primo gradu conjuncta cum Rosa, & publica honestas ex sponsalibus non se extendit ultra primum gradum. Ex alia parte (ut supponimus) non est in primo aut secundo gradu conjuncta cum Catharina, sed in tertio, aut quarto, & afinitys ex copula illicita non se extendit ultra secundum gradum; adeoque Petrus nullum habet impedimentum dirimens publicae honestatis, aut afinitys cum Margarita, atque inde potest cum ea matrimonium contrahere.

4128 Si vero Margarita sit consobrina prima Catharinae, ac proinde in secundo gradu illi conjuncta, non potest Petrus cum Margarita contrahere; quia est illi affinis in secundo gradu, ob copulam illicitam habitam cum Catharina,

### Q U E R E S H.

4129 An infideles, qui cum afinitytate, & ex iam in primo gradu lineae rectae, ortae ex copula conjugali matrimonium contraxerunt, separari debeant, si convertantur ad fidem: an vero matrimonium sit validum?

**R**esp. esse validum, quia afinitys, est eo confurgat jure naturali ex copula licita, quatenus per eam vir, & mulier sunt una caro non dirimit tamen jure naturali, sed Ecclesiastico. Et universaliter matrimonia infidelium inita servatis conditionibus juris naturae, & juris divini, non servatis solum conditionibus jure Ecclesiastico praescriptis, si ipsi infideles postea convertantur ad fidem, remanent valida; imo nulla solemnitate indigent, quia infideles non subjacent legibus Ecclesiae: v. n. 4147.

### Q U E R E S I I I.

4130 Duo Turcae, qui invalide matrimonium contraxerunt contra legem humanam a suo Principe infideles sub clausula irritante editam, Poverum ducti, & ad fidem conversi, volentes renovare matrimonium, recordantur, quod dum erant infideles, & in sua patria, vir cognoverit consanguineam suae uxoris, An indigeant dispensatione super impedimento afinitys?

**R**esp. cum distinctione, vel vir habuerat rem cum consanguinea suae uxoris, v. g. cum ejus sorore, per copulam licitam, quatenus erat uxor, & qua mortua, hanc duxit; vel habuerat rem cum diela consanguinea per copulam illicitam.

Si primum, tenentur petere dispensationem; quia licet impedimentum afinitys non sit, nisi ex jure Ecclesiastico; & consequenter non liget infideles, durante statu infidelitatis, afinitys tamen jure naturali oritur ex copula licita, quia per copulam conjugalem conjuges sunt una caro; ex quo sequitur attentio consanguineorum unius cum altero conjuge, & de converso; unde allati Turcae, cum debeant revalidare matrimonium jam invalidum, in statu, quo sunt fideles, juxta leges Ecclesiae, fit, quod cum vere reperiantur affines, vere reperuntur impediti impedimento tempore fidelitatis, & non antea, de novo superveniente, ex afinitytate tamen tempore infidelitatis contracta.

Si secundum, non egent dispensatione, quia non sunt affines; nam ex copula illicita non oritur afinitys jure naturali; quoniam potius ex ea oriuntur odia, & inimicitiae, quam amicitiae, & attentivae consanguineorum; sed jure Ecclesiastico; & quia copula illicita supponitur facta tempore infidelitatis, quo non erant subditi Ecclesiae, fec.

sequitur, quod adveniente statu fidelitatis, non reputantur affines, ac proinde nec impediti, ut dispensatione egant, Tancr. tom. 2. de matrim. lib. 7. disp. 65. & 66. Tamb. tom. 2. pag. 100. §. 2. n. 1.

### Q U E R E S I V.

4131 Certum est, quod si moriatur Franciscus uxor Pauli, perseveret in Paulo afinitys cum omnibus Franciscus consanguineis matris ante mortem Franciscus, quia ex cap. Fratemitatis. 35. q. 10. afinitys semel orta perpetuo remanet. Ex hoc certo quaeritur, An si post Franciscus mortem natus sit ex ejus sorore puella: si ne affinis in secundo gradu Paulo, ita ut inter ipsam & Paulum nequeat validum matrimonium contrahi?

**R**esp. affirmative, Tamb. tom. 2. lib. 8. r. 1. cap. 12. §. 1. num. 7. Ratio est; quia afinitys mensuratur juxta consanguinitatem, ita ut ex Scoto in 4. dist. 41. q. un. lit. B. quo gradu consanguinitatis est quis conjunctus, vel distat ab uno ex extremis copulae, toto gradu afinitys est conjunctus, vel distat ab altero extremo copulae; sed nata ex sorore Franciscus, adhuc Franciscus mortua, est vere consanguinea in 2. gradu cum Franciscus adhuc mortua; igitur est vere affinis in 2. gradu cum Paulo, qui est alterum extremum copulae; hinc afinitys non folum extenditur ad consanguineos natos, vivente uxore, sed etiam natos, ea mortua.

### 12. IMPOTENTIA

4132 **C**oendi, seu perficiendi copulam, non impotentia generandi, matrimonium dirimit, Scotus in 4. dist. 31. q. un. lit. F. Ad tertium: Quia obligatio non est absolute ad bonum proles, sed sub conditione si eveniat, ad gratanter suscipiendum, &c. & tunc matrimonium est ibi tantum, ut in remedium, non autem in officium.

4133 Hinc steriles, & senes valide contrahunt, dummodo sint apti ad copulam; & tunc matrimonium est in remedium concupiscentiae, qui est finis secundarius, & minus principalis, ob quem etiam fuit institutum, juxta dictum Pauli: *Melius est nubere, quam uri.*

4134 Matrimonium vero Eunuchorum, qui utroque teste caret, est nullum; non ob impotentiam generandi, sed ob impotentiam coendi; copula enim fieri debet per transfusionem veri seminis: vero autem semine caret Eunuchi, cum emittant humorem quandam aquosum specie distinctum a semine.

4135 Hinc impotentia coendi in tribus contrahitur. Exam. Ecclesiast.

1. Impotentia ad penetrandum vas. 2. Ad vitandum verum semen. 3. Si verum fit semen, sed adfic impotentia ad emittendum illud intra vas; unde non sufficit potentia ad emittendum extra vas, seu in ore vaſis.

4136 Impotentia ut dirimat: Primo, debet esse antecedens matrimonium: non sufficit, si fit consequens matrimonium: etiam solum ratum, antequam sit consummatum.

4137 Secundo, debet esse perpetua; ita ut nulla arte possit tolli. Si perpetuitas fit certa, ut si vir habeat virilia sicca, aut amputata, vel si mulier fit adeo arcta, ut nullo remedio, nec incisione possit fieri apta, potest matrimonium statim pronunciari nullum a Judice Ecclesiastico.

4138 In dubio perpetuitatis conceditur ab Ecclesia rituum ad expectandum bona fide; quo elapso sine fructu, matrimonium declaratur potest invalidum, & dissolvi: v. n. 4315. & 4316.

4139 Tertio, D. Thom. de sac. matr. q. 52. ar. 1. apud Gonet. in manuali tom. 6. pag. 467. docet, quod impotentia, ut dirimat, debet esse ignorata, in his verbis:

(In matrimonialibus contractu obligatur unus conjugum alteri ad debitum reddendum; ideo si illic, qui se obligat, est impotens ad solvendum, ignorantia hujus impotentiae in eo, cui fit obligatio, tollit contractum. Sicut autem per impotentiam coendi efficitur aliquis impotens ad solvendum debitum, ut omnino non possit solvere; ita per servitium, ut libere debitum reddere non possit; & ideo fit impotentia coendi ignorata impedit matrimonium, non autem si fiat; ita conditio servitutis matrimonium impedit.)

4140 Praemissa impotentia dirimit jure naturae, sive fit ex parte viri, sive ex parte feminae, sive fit absoluta, sive fit respectiva respectu scilicet hujus viri, & hujus feminae, taliter, quod, dissoluto inter hos matrimonio, possint cum aliis matrimonio contrahere.

4141 Insuper dirimit, sive fit orta ab intrinseco, & vitio naturae, sive ab extrinseco vitio artus, aut diaboli, in casu maleficii adhiberi debent remedia, tam naturalia, quam spiritalia; quae si non proficiunt; impotentia censetur perpetua, & matrimonium dissolvendum per Judicis sententiam, ex cap. Laudabilem, & de frigidis, & maleficiis.

4142 Coitus arcta, si per incisionem potest fieri apta, non tenetur pati incisionem; unde ejus impotentia censetur perpetua, tenet Clericus c. 133. num. 95. Diana pars. 11. r. 5. resolat. 11. & alii apud ipsos. Sed rectius

Ff 3 San-

Sanchez lib. 7. disp. 93. n. 32. docet, quod teneatur pati incontinentiam cum gravi dolore, sed non cum periculo vite, aut gravis morbi.

## MATRIMONIUM IMPUBERIS

4142 **E**st Jure Canonico invalidum, nisi malitia suppleat aetatem, ex c. *Attestationes* 10. C. de illis 9. tit. de desponsat. impuber.

Defectus autem aetatis matrimonium invalidat, minime ratione impotentiae, quia haec in puberibus est temporanea; sed ex defectu consensu, ob quem sicut Jus Canonicum Trid. ad validam professionem Religiosam expositit tam in viris quam in mulieribus aetatem annorum sexdecim expletorum: ita Jus Canonicum n. 4143. relatum, ad validum matrimonium de praesenti expositit in viro aetatem 14. annorum, & in femina 12. annorum expletorum, nisi malitia suppleat aetatem.

4144 Malitia suppleat aetatem consistit in maturitate iudicii sufficientis ad discernendum, & se obligandum in contractu perpetuo, & indissolubili matrimonio, atque in potentia ad copulam, de qua in *num.* 4135. Haec autem malitia suppleat aetatem relinquuntur iudicio, & arbitrio Ordinarii, qui potentiam ad copulam colligere potest, vel ex facto, quatenus impubes cum alio copulam habuit; vel ex corporis dispositione, aut propinquitate ad annos pubertatis.

4145 Qua seclusa malitia, matrimonium impuberum, seu verba de praesenti inter impuberes ad matrimonium apta, ex Jure Canonico habent vim sponsalium; quia cum impuberes, supposito usu rationis, sint ex se apti ad contractum, verba valere debent, quantum possunt; & quia ex Jure Canonico prohibentur valere ut matrimonium de praesenti, valere debent ut sponsalia.

Unde matrimonium impuberis fieri debet ex gravi causa, & cum licentia Episcopi.

4146 Quod si postea compertum, Episcopum errare in danda licentia, seu in approbata malitia aetatem suppleat, quatenus impubes reperitur est inhabilis ad copulam, tunc ex Jure Canonico validum est matrimonium: nam Ecclesia supposita dicta licentia Episcopi iudicat inhabilitatem illam esse temporalem, ac proinde disponit, ut expectetur complementum pubertatis.

Si hoc elapso, adhuc reperiantur inhabiles, tunc expectari debet completissima pubertatis aetas, quae in viris est annus 18. in feminis 14. Et si neque hoc tempore habiles reperiantur, tunc utique rationalis dubitatio

oritur, an inhabilitas sit perpetua; adeoque adhibenda est triennalis experientia, ut in *num.* 4138. Tamb. de matr. lib. 8. tit. 1. c. 13. §. 2. v. n. 16.

4147 Si malitia suppleat aetatem sit certa, & impubes sine licentia Episcopi, & gravi causa contrahat matrimonium, peccat mortaliter, sed valide contrahit, Tamb. *cit.* Invalidae tamen contrahit, si non sit malitia suppleat aetatem, ut in *num.* 4144.

## HERMAPHRODITUS,

4148 **S**exum scilicet virilem simul habens, & foemineum. 1. Si in neutro sit potens, valide contrahere non potest. 2. Si inaequaliter participat, contrahere debet secundum sexum, qui praevalet. 3. Si aequaliter utrunque participat, & secundum utrumque sit aequo potens, debet ipse sexum eligere, & secundum illum contrahere; quo electo, maxime, eo matrimonio durante, peccabit mortaliter si alio sexu uti velit, Tamb. *tom.* 2. pag. 103.

4149 Quod si nuperit foemina, & processu temporis prorumpat in virum, tunc non sit potens uti sexu foemineo, matrimonium est, & sicut ab initio nullum; quia sexus, in quo contrahit, non erat perpetuus; quoniam latebat sexus virilis. Pari ratione, si haec fuerit Monialis professio, professio est nulla, & est de Monasterio educenda; non tenetur tamen ingredi Religionem virorum, quia eius intentio non fuit, nisi ingredi Monasterium Monialium, & ibi proficere, Port. in *dub.* Reg. ver. *Professio in sine.*

## 13. PRESENTIA PAROCHI, ET DUPLICIS TESTIS

4150 **S**i desit, ubi Trid. est receptum, matrimonium est nullum, etiam si qui contrahere debet, sit in articulo mortis. Matrimonium coram facie Ecclesiae celebratum dicitur, quod celebratur coram Parocho, & testibus.

4151 Ubi Decretum Concilii non est publicatum, valere matrimonium contracta ab aliquo observantia formae à Concilio praescriptae, declaravit S. Congr. Concil. 19. Januarii 1605. apud Tamb. de matr. lib. 8. tit. 6. c. 2. §. 3. n. 10.

4152 Ubi est publicatum, vel aliquo tempore in Parochia tanquam Decretum Concilii observatum, nullus tamen Parochus reperitur, sed Ecclesia Parochialis omnino vacat tam Parocho, quam Episcopo, & Capitulum valentibus alium delegare; quod contingere potest causa persecutionis ab infidelibus illata; tunc, matrimonium valere absque praesentia Parocho, (servata tamen in eo,

in

in quo potest, forma Concilii, id est adhibitis saltem duobus testibus) declaravit eadem S. Congr. Concil. 19. Januarii 1605. apud Tamb. *cit.*

4153 Qui, nec contrahant coram Parocho, transiunt ad loca haereticorum, ubi non sunt Parochi, & ibi more loci sine Parocho contrahunt, valide contrahunt, si transiunt animo mutandi domicilium; invalide vero, si secus, sed animo revertendi. Ita Clericus c. 123. n. 124. cum Tamb. & de Lugo, ex Brevis Urb. VIII.

4154 Si de loco, ubi non est publicatum Concilium, veniant ad locum, ubi est publicatum, invalide contrahunt sine Parocho, & testibus.

4155 Si unus ex sponsis sit de loco, ubi est publicatum Conc. alius de loco, ubi non est publicatum, habenda est ratio loci, ubi matrimonium per verba de praesenti contrahitur, Clericus, & Tamb. *cit.*

4156 Graeci Ecclesiae Romanae uniti, maxime inter Latinos habitantes, tenentur servare formam Tridentinam.

4157 Sufficit Parochus viri, aut uxoris, si contrahentes habitent in diversis Parochiis, etiam si praesens contradicat, dummodo intelligat, Tamb. *tom.* 2. *cit.* pag. 157. quia Trid. c. 1. *sess.* 24. de refor. Parochi, & duorum testium praesentiam expositit.

4158 Hinc Fagnanus in 1. lib. Decr. c. *Quoniam*, de *confir.* n. 25. pag. mibi 123. refert Declarationem Conc. ut legitur:

(S. Congregatio declaravit, validum esse matrimonium contractum coram Parocho, etiam invito, & per vim adhibito, quanquam nihil eorum, quae agebantur, vidit, & intellexit, si affectum non intelligit, ut in Parocho qui sibi aures obturaverat; etiam si ex alia causa vocatus, adhibitus tamen ad illum asum. Item coram Parocho tam viri, quam mulieris, etiam in aliena Parochia: imo & si Episcopus illi matrimonium interdixerit. Item coram Parocho etiam minoribus tantum Ordinibus initiato.)

4159 Non sufficit igitur pura praesentia Parocho: physica, & materialis, qualis esset Parocho amentis, dormientis, ebrii, infantis, vere, & non ex affectatione distracti, seu vere non advertentis, quid de contrahentibus agatur; sed requiritur praesentia moralis, & humana, quamvis coacta, involuntaria, aut casualis.

4160 Sic pariter de testibus. Unde invalidum est matrimonium, si contrahentes sint vel cooptati, ita ut non cognoscantur certo a testibus. Item si testes non intelligant idio-

ma sponsoforum, quamvis per interpretem meantur de contractu matrimonii, nisi ex actibus externis sponsoforum certo percipiant, eos matrimonium contrahere. Ita Clericus, qui rite ex Pontio adit, hoc esse periculum; quia alter ex sponsis peribundus affectus potest dicere, se tunc per verba defuturo, minime de praesenti, contraxisse.

4161 Insuper validum est matrimonium, cui Parochus, vel alius Sacerdos de ejus licentia assiluit contra prohibitionem Episcopi sui nullitate matrimonii factam; quia Episcopus potest Parochum inobedientem punire, minime vero matrimonium ex capite assilientiae irritare, contra Trid. & Declar. Sacr. Congr. de *num.* 4158. Nec potest novum impedimentum dirimens edere.

4162 Parochus potest alteri delegare, ut matrimonio assiluit, sed non nisi Sacerdoti, ex Trid. *cit.* Et hic valide assiluit, etiam si per vim, metum, aut dolum licentiam obtinuerit.

4163 Hic Sacerdos delegatus potest alteri Sacerdoti subdelegare, ut assiluit, si sit delegatus generaliter, puta, si sit conductus à Parocho, tanquam Capellanus, ut sibi serviat in administratione Sacramentorum, quia delegatus ad universitatem causarum, potest subdelegare; secus si sit delegatus in casu specialiter, Clericus *cit.* ex Fagnano in *cap. Specialibus* num. 22. de clandest. desponsat. vide n. 3979.

4164 Si Parochus interim sit mortuus, aut privatus Beneficio, Sacerdos delegatus invalide assiluit, si id fecerit; quia delegatus spicit mortuo delegante: valide, si adhuc nesciat, quia assiluit bona fides, & titulus corloratus.

4165 Valide, est illicite, assiluit Parochus: censuris innotatus, aut irregularis: invalide vero, si sit haereticus. Ratio primi (ut notat Clericus) est; quia tale jus affertendi non est actus jurisdictionis, sed qualitas à titulo Parochiali proveniens, adeoque per censuras non auferitur. Ratio secundi, quia per haereticum Beneficia vacant, adeoque non est amplius Parochus. Sac. Congr. apud Fagnanum in *c. Ad abolendum*, n. 38. de *heret.*

4166 Peccat mortaliter, aut venialiter, juxta opinionum veritatem, Parochus, si omittat verba Ritualis: *Ego conjungo vos in matrimonium, in nomine Patris, &c.* sed non invalidat matrimonium, quia haec verba non sunt de essentia; non habent enim rationem formae, ut ex *num.* 2951. sed formalem declarant matrimonium legitime contractum, ut sit sententia: *Ego dico, &c.*

Et 4.



contraxisset legitimum matrimonium.  
4167 Ex quo inferit Tamb. lib. 8. de matr. r. 6. cap. 2. §. 4. n. 5. quod si contrahentes non interrogati, ex se satis expriment consensum, possit Parochus interrogationem circa consensum omittere; quia esset superflua.

4168 Semper autem sub mortali tenetur Parochus in suo libro Parochiali matrimonia celebrata notare.

Hæc ferre Clericus est. qui quatuor quæ sita necessaria ex Tamb. proponit, & resolvit, ut sequitur.

QUÆRES I.

4169 An nomine Parochi in hac materia venias solus Parochus, idest Sacerdos iureiuratus Beneficium?

R Esp. Appellatione Parochi venire, ultra Sacerdotem in Beneficio Curato deputatum, etiam Episcopus in tota Diocesi, ac ejus Vicarium Generalem, necnon Vicarium Capitulalem Sede Episcopali vacante: item Cardinales in suo titulo: Legatum a Latere in Legationibus suæ Provinciæ: Archiepiscopum in visitatione Diocesium suorum Suffraganeorum, vel ubi fuit ad eum à sententia Episcopi appellatum: Summum Pontificem in toto orbe. Sanchez de matr. disp. 7. n. 10. Pontius lib. 5. c. 10. & Tamb. ubi sup. c. 2. §. 5. n. 1. ubi id extendit etiam ad Abbates habentes jurisdictionem quasi Episcopalem: si tamen sint in Abbacia instituti, non autem si tantum in Commendam habeant, Diana p. 11. r. 3. ref. 35.

QUÆRES II.

4170 Si Parochus dedisset licentiam alteri Sacerdoti, ut assisteret matrimonium, sed iste nesciens, datam esse sibi licentiam, & nihilominus assisteret, essetne matrimonium validum?

R Esp. Distinguedo: vel ipse assistens miserat ad petendam licentiam, & ea obtenta, antequam sibi notificaretur, assisteret; peccaret quidem, exponendo se periculo nullitatis; at valide assisteret, quia concessio gratiæ incipit valere à puncto concessionis factæ oratori petenti, & acceptanti. At si nullo petente, fuisset licentia data ultro pro ipsum Parochum, matrimonium esset nullum; quia cum à nullo dicta licentia sit acceptata, nullum parit effectum, Castropal. disp. 2. de sponsal. p. 1. §. 3. a. 6. Diana p. 11. r. 3. ref. 32. Et est textus in c. Si tibi absenti, de Præben. in 6. Tamb. d. lib. 8. r. 6. c. 2. §. 5. n. 7.

QUÆRES III.

4171 Quomodo cognoscatur, an quis sit Parochia ad effectum contrahendi valide matrimonium coram proprio Parocho?

R Esp. Est distingueda quatuor genera habitantium. Primum est eorum, qui nixum habent domicilium per totum annum in Parochia. Secundum est illorum, qui habitant pro majori parte anni tantum, ut Scholares Patavi, vel litigantes Venetis. Tertium illorum, qui per paucos dies occasione solatii, aut recreationis. Quartum illorum, qui vagi sunt, & nullibi morantur, ut sunt comici, & circulatores. Modo, personæ primi, & secundi generis, absque dubio contrahunt coram Parocho, in cujus Parochia morantur. Scuse est de illis tertii generis; quia non dicuntur habere domicilium ibi, ubi ex itinere morantur. Personæ quarti generis censentur de Parochia, ubi se firmiter, quamvis cito discesserit, Barbos. in collect. DD ad Conc. Trid. sess. 24. e. 7. Tamb. d. cap. 2. §. 5. n. 10. 11. & 12. ubi tamen n. 13. advertit, non debere Parochum matrimonium vagorum assistere, nisi prius exhibeant licentiam Ordinarii, & attestacionem libertatis eorumdem, ad tradita per Conc. Trid. sess. 24. c. 7. de reform. matr.

QUÆRES IV.

4172 Si sponsi sint diversarum Civitatum, & faciant mandatum pro eorum amicis in alia Civitate commorantibus, ut eorum nomine matrimonium contrahant, An Parochus Procurationem fuerit versus Parochum, & poterit valide assistere matrimonio?

R Esp. Hunc casum non inveniri apud Doctores discitur, ut notat Tamb. d. lib. 8. r. 6. cap. 2. §. 6. n. 23. ubi de eodem sic distinguit: Vel unus sponsus tantum est absens, & ejus loco deputatur Procurator; & tunc matrimonium potest celebrari coram Parocho sponsi præsentis, cum intervenit Procuratoris pro sponso absente: at si ambo sponsi absint, & uterque eorum fecerit Procuratorem ad contrahendum, qui Procuratores sint in alia Civitate; Parochi istorum Procuratorum nequaquam possunt valide assistere matrimonio per eos pro curatoria nomine contrahendo; quia neuter illorum est Parochus sponsum: ideo necesse erit, ut Parochus sponsum deleget facultatem Parocho Procuratorum assistendi prædicto

ma-

matrimonio: quod non est neque difficile, neque grave, quia debent etiam ipsi sponsi mittere attestaciones suæ libertatis. Ita Tamb. ubi supra d. n. 23.

QUÆRES V.

4173 Quid dicendum de Regularibus, quoad administrationem Sacramentorum?

R Esp. Regulares, qui line Parochi licentia præsumunt Clericis, vel Viaticum ministrare, aut Matrimonium solemniter benedicere, incurere Excommunicationem Papæ reservatam: ex Clement. l. 5. tit. 7. cap. 1. excusat autem ignorantia crassa; quia censura est contrahentes: v. n. 4332. & 3979.

Quid de extrema Unctione, & Viatico quoad commensales, hospites, servientes, &c. Quidque in extrema necessitate in articulo mortis. &c. Vide const. 31. Pii V. Ad immarcescibilem 13. Febr. 1507. in Bullar. Constit. 48. Pauli III. 48. Licet debitum 18. Octobris 1549. Bullar. Passer. tom. 2. q. 187. art. 1. n. 994. Palq. q. 404. & 405. Gabr. à S. Vinc. d. 1. q. 2. Amanuoliam 2. d. 6. fol. 2. ubi r. Diana p. 2. r. 4. ref. 170. & Bord. ref. 200. n. 22. qui refert const. Pauli III. & Leonis IX.

Post relatos Pontifices, & Doctores omnino prius videndos, videri potest Matthæucci in Officiali curiæ tom. 2. à pag. 203. Quoad Sacramentum Pœnitentiæ, fule dictum est alibi.

DUO TESTES

4174 Debent esse præsentis, ut in 4159. & 4160. & unitim intervenire contractus, dum actu consensus præstatur, ita ut non sufficiat, si unus audiat consensum viri, & alter mulieris.

4175 Una sola qualitas est necessaria in testibus, nempe usus rationis; unde quælibet persona cujuslibet conditionis, aut status, vir, mulier, cognita, infans, excommunicata, infidelis, &c. & cujuslibet ætatis, dummodo usum rationis habeat, est testis habilis quoad matrimonium contrahendum; quia Trid. cit. nullum excipit pro teste.

Ad testificandum autem super nullitate matrimonii non omnes sufficient, sed requiruntur testes omni exceptione majores, cap. 1. de Consanguinitis.

14. RAPTUS MULIERIS.

4176 Irimit Matrimonium, ita ut raptor non possit raptam ducere, quando diu manet in potestate raptoris, bene vero, quando fuerit à raptore separata, & posita in loco tuto, si tunc illa libere consentiat: sed etiam tunc raptor, & omnes illi, qui cons-

lium, auxilium, & favorem præbuerunt, sunt ipso jure excommunicati, ex Trid. sess. 24. de ref. cap. 6. Ad raptum autem requiruntur tria ex n. 2158.

4177 Sufficit. 1. Si violentia inferatur ipsi feminæ in principio, licet postea copula annuat. Non sufficit autem, si in principio raptus consentiat, & postea veniens fuerit cognita; quia initium est attendendum, quo violentia interfuit. 2. Sufficit, quod sit raptus feminæ, sive virginis, sive corruptæ, sive meretricis; non sufficit, si sit viri. Ratio primi; quia Trid. respicit offensam, & impedimentum libertatis Matrimonii, quod habetur, etiam si mulier inhoneſta raptatur. Ratio secundæ; quia lex est pœnalis, adeoque cum loquatur de viro raptore, non debet extendi ad mulierem raptivam. Ita Fenech.

CAPUT VI.

De Dispensationibus.

4178 Dispensatio est juris alienius relaxatio. Unde non potest fieri sine rationabili causa.

4179 Dispensatio data sine causa à Superiore, est valida, sed illicita: data vero ab inferiore, in lege superioris, est etiam invalida, ut patet dictum est de voto. In utroque casu dispensantes peccate mortaliter, dicit antiqui venaliter, moderni apud Dian. p. 8. r. 3. ref. 6. Clericatus c. 136. n. 1.

4180 Causæ, ob quas solet Pontifex in impedimentis matrimonii dispensare, sunt præcipue septem.

Primo, angustia loci, ob quam non inveniat sibi parem, cum non sint ibi pares.

4181 Secundo, paupertas, seu incompetens dotis, ob quam non possit extra cognatos inveniri conjugium.

Non obstantes ipse future successiones ab intestato, aut legati, si non habeat mulier parentes divites, qui teneantur, & cogi possint ad eam dotandam. Si mulier sit deformis, & hæc de causa cum ea dote non possit habere extra cognatos, censetur pauper; sed id debet exprimi.

4182 Tertio, grave periculum leiti, aut inimicitie.

4183 Quarto, ætas feminæ excedens; puta si annum 24. excedat, ne inupta remaneat.

4184 Quinto, conservatio familie illustri, & in Ecclesia benemerite. Nobilitas est desumenda à patre, non tantum à matre.

4185 Sexto, timor scandalis, aut periculum infamie.

4186 Septimo, largæ elemosinæ.

4187 Dispensatio, si in ea taceatur verum, aut

aut exponatur fallum, dicitur subreptitia, seu obreptitia. Et est nulla, si taceatur verum; aut exponatur fallum circa causam finalem; non est nulla, si circa causam impulsivam. Causa finalis est illa, sine qua dispensatio non concederetur. Causa impulsiva est illa, sine qua concederetur dispensatio, sed non tam facultiter, aut prompte, Clericatus cap. 127. n. 1. cum Tamb.

4188 Subreptitia est dispensatio, & inde nulla. Primo, si fuit expositum unum impedimentum pro alio, v. gr. gradus consanguinitatis pro gradu affinitatis; aut si sub dubio impedimento certum.

4189 Secundo, si factus sit error in expressione D. o. c. e. f. i. Clericatus cit. num. 21. cum Tamb. contra Dianam p. 8. r. 3. refol. 64. & Mendo in Epit. cit. n. 13. qui opinionem affirmativam vocat terrorem probabilem.

4190 Valida tamen est, & potest ab Ordinario executioni mandari, 1. Si error fuit in nomine, aut cognomine, consuet tamen de veritate corporum, seu personarum. 2. Si fuit in exponendo gradu proximiori pro remotiori, secus è contra: praxis tamen est in hoc secundo casu, ut litteræ remittantur Romam pro correctione, Clericatus, Tamb. & Mendo cit.

4191 Si orator taceat repulsam ante super eadem supplicatione sibi datam, valet dispensatio, Clericatus c. 137. n. 2. cum Diana p. 8. r. 3. ref. 54. Tamb. cit. & Sanchez.

4192 Et quamvis Tamb. cit. idem docet, si data repulsa à Superiore, fiat recusatus ad inferiorem habentem facultatem dispensandi, absque eo quod & repulsa notificetur.

Id eodem verum in casibus, in quibus inferior habet à Superiore concessam facultatem ordinariam, seu delegatam dispensandi, ut est in votis, ex num. 1723. & 1962. minime in casibus, in quibus inferior solum eam habet ex episcopia, nimirum ex rationabiliter presumpta voluntate Superioris; hanc autem habet Episcopus in impedimentis dirimentibus, non primam, juxta dicta n. 4230. & 4240.

4193 Qui post obtentam dispensationem ducendi Rola consanguineam, petat dispensationem pro ducenda alia consanguinea, teneat exponere primam dispensationem, si hæc fiat inutilis ex sola mutatione animi ipsius petentis: non teneat vero, si per ipsum non iteriter, sed prima dispensatio sit revera facta inutilis, in quantum Rola sit mortua, facta Religiosa, aut nolit, Clericatus cit. num. 3. cum Diana p. 8. r. 3. ref. 55.

4194 Qui dispensationem obtinuit super impedimento criminis ob uxoricidium, inde occi-

dat secundam uxorem, ut ducatur tertiam, teneat exponere priorem dispensationem, Clericatus cit. n. 4. cum Tamb. contra Filiucum, quia difficilius conceditur gratia replicato delicto, quam unico; bis, quam semel.

4195 Qui obtinuit dispensationem super voto simplicis castitatis ad contrahendum, si mortua uxore, petat dispensationem in vero, non teneat primam dispensationem exprimeri, quia in hoc non adest delictum, & prima dispensatio est expleta, Clericatus cit. n. 5. cum Tamb. v. n. 264.

4196 Qui simul plura impedimenta habet, tutius est, ut illa simul exponat, & pro omnibus simul, & non seorsim dispensationem petat, ob rationem de n. 4194.

Quod si unum sit occultum, alterum publicum, tunc potest, & debet ad Datarium recurrere pro publico, relicto occulto, & pro occulto ad S. Penitentiarium, cui tamen significare debet impedimentum publicum, super quo Dataria dispensavit, aut est dispensatura, Clericatus cit. n. 7.

4197 Si duæ sint expositæ causæ, vera una, altera falsa, quarum tamen qualibet est sufficiens ad dispensationem, validam esse dispensationem, tenet Mendo in Epit. ver. dispensatio n. 16. quamvis facilius ob causam falsam Papa dispensaret; quia utile per inutile non viciatur. Idem docet Clericatus cit. num. 19. si causa falsa potius reputetur impulsiva, quam finalis. Tutius tamen ait, deinde ad Papam recurrere, & certum reddere de causa falsa, ob periculum nullitatis: & ita esse præcedendum.

4198 Si post dispensationem super affinitate ex copula illicita cum consanguinea sponsæ iterum quis habeat rem cum eadem consanguinea sponsæ, non requiritur nova dispensatio, si copula contingat ante executionem dispensationis, à delegato factam: requiritur vero, si contingat post executionem dispensationis, sed ante contractionem Matrimonii, Cleric. cit. & Diana p. 8. r. 3. ref. 65. quia dispensatio data non tollit affinitatem ex nova copula superveniente.

#### DE CLAUSULIS DISPENSATIONIS.

4199 **T**Ria in hac re à Doctoribus considerantur. 1. *Materia*, & *causa dispensationis*: de materia, super qua potest peti, & obtineri dispensatio, pura voto, irregularitate, Matrimonio, &c. sive insinuatum esse in instructione S. Penitentiarium, à num. 1577. De causâ actum est à num. 4180. & in propriis locis materialium. 2. *Forma litterarum dispensationis*, de qua in n. 260. 3. *Observanda in executione dispensationis*.

PRO

#### PRO FORO INTERNO.

4200 **P**rima clausula, quod executor ab ipso impetrante eligendus sit *Confessarius Magister in Theologia, vel Doctor decretorum, ex approbata ad Ordinem*. Non sufficit, si sit pure licentiatum: v. n. 261.

4201 *Secunda, Discretionis tue committimus, quatenus si est ita*. Unde debet Confessarius se informare de veritate causæ expositæ à solo penitente, cui est credendum. Quod si Confessarius aliunde sciat expositum esse fallum, non potest litteras exequi; quia secundum propriam scientiam debet exequi. Semper sigillum Confessionis custodiat.

4202 *Tertia, Injuncti ei gravi poenitentia salutari*. Poenitentia injungenda remittitur arbitrio & præsentia Confessarii, attenta gravitate delicti, seu causæ, & circumstantiis consideratis.

Si peccatum fuit in priori Confessione absolutum, & debita poenitentia satisfactum, quamvis non sit necessaria nova absolutio, & poenitentia, congruit tamen, stante nova accusatione Sacramentali in litteris requisita, quod detur nova absolutio, & poenitentia, mitior tamen, attenta priori; & ita est in praxi servandum, Clericatus c. 139. n. 10.

Si poenitentia fit litteris præscripta, est ad litteram servanda.

4203 *Quarta, Dummodo impedimentum sit occultum*. Quid sit occultum, sive habes à n. 3317. & in tom. 2. pag. 507. n. 72.

4204 *Balemb. l. 1. r. 2. c. 4. in appendice dist. S. Penit. habet: (Et si aliqua impedimenta, v. gr. cognationis spiritalis, natura sua sint publica, cum contrahantur in facie Ecclesiæ; fieri tamen potest per accidens, ut sint occulta, v. g. 1. Ob diuturnitatem temporis, ex quo sunt contracta. 2. Ob distantiam loci à loco contractæ cognationis. 3. Per mortem eorum, qui fuerunt consocii. 4. Per ignorantiam hujus conditionis.)*

Omnia tamen servandum est dictum in num. 3419.

4205 *Vetricelli, r. 3. q. 51. n. 8. excipit casum, quo in litteris dicitur, Dummodo impedimentum, seu delictum sit omnino occultum*. Et tunc vult, occultum dici, quod probari non potest; adeoque si probari potest, non potest dispensatio executioni mandari.

4206 *Quinta, Ut conjux ignara impedimenti certioratus de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut latius delictum nullquam detegatur*: v. n. 4244. & à n. 4247.

Altas clausulas v. in n. 263.

#### PRO FORO EXTERNO.

4207 **E**X Clericato cap. 138. & Tamb. cit. executioni danda ab eo, cui est à Papa directa: Non potest ab Episcopo, si est directæ Vicario; & e converso.

4208 Vicarius cessante officio non potest dispensationem ab ipso inceptam expedire, si commissio sit realis, facta nuncpe Vicario, ut Vicario; sed tunc expeditio spectat ad successorem. Potest tamen eam expedire, si sit personalis, facta scilicet per nominationem personæ, Clericatus cap. 28. n. 2. cum Tamb. qui ait personalem cessari, si dicatur: Tibi Joanni Vicario: v. n. 4226.

4209 Vicarius Capitali, sede vacante, non potest expedire dispensationes matrimoniales inexpectatas à Vicario Episcopali relicta, Clericatus cit. cum Tamb. ex Canonistis; quia Papa parum illis fidit; inde solet pro diocesis Sedis Vacantis Episcopo viciniori committere.

4210 Tunc Episcopus vicinior, si ante expeditionem Sedes fiat plena per adventum novi Episcopi, potest litteras dispensationis expedire, si executio sit incepta. Si vero res sit integra, hoc est, si litteræ non sint jam ei præsentatæ, non potest eas expedire; sed tunc Dioecesanus debet novam commissionem petere.

4211 Executor delegatus potest alteri committere examen testium, vel informationem, minime ipsam actualem dispensationem; quia quoad hanc, Papa expolit factum ipsius delegati.

4212 Informationes sumere potest judicialiter, aut extrajudicialiter, ad sui libitum, & prudentiam.

4213 Valet dispensatio, si causa sit vera, licet probata per falsos testes. Non valet vero in foro conscientie, si sit falsa, sed appareat vera per falsos testes.

4214 Quamvis in litteris apponi soleant hæc verba: *Propter has, & similes alias causas rationabiliter animum vestrum moventes*: executor non teneat, præter causas expressas, de aliis generalibus se informare, nisi ita tanquam conditio apponatur.

4215 Executor non potest aliquod munus, aut præmium pro labore dispensationis accipere, ob clausulam, quæ in litteris solet apponi: *Quod si preter hæc monitione, aliquod munus, aut præmiis recipiat, excommunicationem latam incurvat*. Et quamvis Perez, & alii apud Tamb. cit. & Diana par. 8. r. 3. ref. ult. dicant per dictam clausulam non prohiberi solentia, & poculenta non magni valoris, cum

hæc